

161

Aufidium dixerit; imo *Titium Aufidium*; Ex quo facile suspicari quis possit, Corneliam Oratoris filiam patris hereditatem universam viro suo intulisse: vix enim verosimile videtur, si Cornelio filii, aut nepotes superfuissent, ad quos propius illius laus pertinuisset, M. Aufidium Frontonem in Inscriptione nostra Cornelii pronepotem dictum fuisse.

III. Fronto, seu M. Aufidius Fronto Consul, qui M. Aufidio Frontoni filio monumentum hoc posuit, Consularum gessit A. U. C. CMLII. Collega P. Cornelio Annulino II, quod Collegium celebre est: & in antiquis Inscriptionibus, & in legibus Imperatoriis sæpissime memoratur. An eo anno, quo Consul fuit, filium amiserit, eique Inscriptionem posuerit, incertum; scimus enim in vetustis Inscriptionibus etiam eos, qui Consulatam gesserint, non Consulares, ut mos vetus erat, sed Consules dici.

Duo nunc supersunt monenda. Primum Aufidios hos (si conjecturis uti licet) Pisarense fuisse, Coloniaeque olim facile principes, ut ex Inscriptione C. Aufidii n. XXXIV. constat: Romam inde translato, ibidem Praefectura Urbi, pluribusque Consulatibus inclaruisse. Deinde Inscriptionem hanc a Boissardo, qui Romam illam esse scribit, arae insculptam representari; inde suspicari possumus Aufidium Frontonem Consulem filio suo Pisauri, ubi diem clausit, sepulchralem urnam posuisse Inscriptionem, quam dedimus, insignem; eandem vero Inscriptionem Romam in aram ad dulcissimi filii memoriam amplificandam constituisse.

L X X.

I Neptam hanc scribendi rationem punctis post unamquamque syllabam interpositis in usu olim fuisse vetustae testantur Inscriptiones, quas vide in Fabrett. de Col. Trajan. cap. VIII. p. 258. & Inscript. Dom. cap. V. p. 374. & in elegantissima Dissertatione ad S. Severam Mart. Epitaphium § X.

SP. F. Patet hinc Aurelium, vel in fervili contubernio, vel extra legitimum matrimonium a Chabitione susceptum: tales enim homines Spurii filii dicebantur. V. Fabrett. Inscript. Domesticae. Capit. I. pag. 46.

X

LXXI.